

scere, aequi inhumani et saxe et ferrei iudicarentur, ac Plinii aetate ii, qui Isaeum rhetorem non audirent. Quo in numero reperimus fuisse, cum fratre Ioachimo, Georgium, Ascaniae principem, quem, ut omnino optimis artibus politum limatumque natusse, ita singulari, ut tum erant tempora, Hebraicarum litterarum scientia floruisse, admiramur non magis quam gaudemus. Solebant enim iis temporibus principum quoque filii interesse scholis eorum, qui traderent praecepta artium bonarum, non animi caussa, nec tantum propterea, ut dicerentur operam dedisse magistris, sed ut opes sapientiae, sicut humanae, ita vel maxime diuinae, collegerent, neque solum collegerent, sed collectas etiam augerent sponte et exaggerarent, ut admoti salutis publicae gubernaculis, valerent ipsi de rebus, vel ad religionis vel ad reipublicae summam pertinentibus, iudicare et statuere, neque aliorum iudiciis cupidis saepe et vanis stare cogerentur. Helto igitur illi traditus est in disciplinam Camerarius puer; attigerat enim annum aetatis tertium decimum; a matre; pater enim mortuus erat; optima et sanctissima femina. Attrulit autem discipulus Papeberga Lipsiam ad magistrum tantam tamque insatiabilem litterarum omnium cupiditatem, signum, ut Socrates, auctor bonus in primis, existimauit, excellentis ingenii certissimum; ut, sine facultate vtriusque linguae idonea, sapientiam neque existere vlo modo, neque sustineri et seruari, posse putaret; ut praestantiam artium bonarum et utilitatem splendori omnium honorum divitarumque, etiam malorum periclorumque omnium terrori et molestiae, anteponendam censeret. Pugnauit autem contendique discipuli discendi non

F 5

tam